

**Der folgende Text ist in angemessenes Deutsch zu übersetzen!**

**Bei der Fertigung der Reinschrift der Übersetzung für Korrekturzwecke jede zweite Zeile frei lassen!**

*Plinius empfiehlt Corellia einen Lehrer für ihren Sohn.*

C. PLINIVS CORELLIAE SVAE S.

Cum patrem tuum, gravissimum et sanctissimum virum, suspexerim magis an amaverim dubitem teque et in memoriam eius et in honorem tuum unice diligam, cupiam necesse est atque etiam, quantum in me fuerit, enitar, ut filius tuus avo similis exsistat; equidem malo materno, quamquam

5 illi paternus etiam clarus spectatusque contigerit, pater quoque et patruus inlustri laude conspicui.

Quibus omnibus ita demum similis adolescet, si imbutus honestis artibus fuerit, quas plurimum refert a quo potissimum accipiat.

Adhuc illum pueritiae ratio intra contubernium tuum tenuit, praeceptratores domi habuit, ubi est erroribus modica vel etiam nulla materia. Iam studia eius extra limen proferenda sunt, iam

10 circumspiciendus rhetor Latinus, cuius scholae severitas, pudor, in primis castitas constet. Adest enim adulescenti nostro cum ceteris naturae fortunaeque dotibus eximia corporis pulchritudo, cui in hoc lubrico aetatis<sup>1</sup> non praceptor modo, sed custos etiam rectorque quaerendus est.

Videor ergo demonstrare tibi posse Iulium Genitorem. Amatur a me; iudicio tamen meo non obstat caritas hominis, quae ex iudicio nata est. Vir est emendatus et gravis, paulo etiam horridior

15 et durior, ut in hac licentia temporum. Quantum eloquentia valeat, pluribus credere potes; nam dicendi facultas aperta et exposita statim cernitur. Vita hominum altos recessus magnasque latebras habet; cuius pro Genitore me sponsorem accipe! Nihil ex hoc viro filius tuus audiet nisi profuturum, nihil discet, quod nescisse rectius fuerit, nec minus saepe ab illo quam a te meque admonebitur, quibus imaginibus oneretur, quae nomina et quanta sustineat.

20 Proinde faventibus dis trade eum praceptor, a quo mores primum, mox eloquentiam discat, quae male sine moribus discitur! Vale.

**1** in hoc lubrico aetatis ~ in hac lubrica aetate